**Dissertatio inauguralis medica de fronte morborum interprete ... / [Joachim Ludwig Willmans].**

**Contributors**

Willmans, Joachim Ludwig.
Büchner, Andreas Elias, 1701-1769.
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburg : Litteris Hendelianis, [1755]

**Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/nzzxcdv6

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE

# FRONTE MORBORVM INTERPRETE

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS
ET
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

## D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

*PRO GRADV DOCTORIS*
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
LEGITIMO MODO IMPETRANDIS,
AD D. XXV. OCTOBR. A. S. R. CIↃ IↃCCLV.
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
IOACHIMVS LVDOVICVS WILLMANS
HERFORDIA-GVESTPHALVS.

HALAE MAGDEBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.

BIBLIOTECA GENERALE UNIVERSITÀ DI PAVIA

VIRO

*PRAENOBILISSIMO, EXPERIENTISSIMO ATQVE DOCTISSIMO*

DOMINO

# CAROLO LVDOVICO STORCH

DOCTORI MEDICINAE ET PRACTICO CELEBERRIMO,

PHYSICO VRBIS HERFORDIAE SPECTATISSIMO,

VICARIO CAPITVLI AD SS. IOHANNEM ET DIONYSIVM VENERABILI,

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

COGNATO SVO

AD CINERES VSQVE SVMMO HONORIS ET OBSERVANTIAE CVLTV PROSEQVENDO ET DEVENERANDO,

DISSERTATIONEM HANCCE INAVGVRALEM

IN AETERNAM SVI MEMORIAM

ET

COMMENDATIONEM

CVM FIRMAE PERPETVAEQVE VALETVDINIS VOTO

DEDICARE VOLVIT

IOACHIMVS LVDOVICVS WILLMANS.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

# FRONTE MORBORVM INTERPRETE.

## PROOEMIVM.

Cuius alias, IVVENALE teste *), nulla solet esse fides, fronti impraesentiarum eandem facturi sumus. Tametsi enim hominum plurimi adeo firmae deprehenduntur frontis, ut, quemcunque volunt, animum hac in parte gestare, moxque molli fronte impudentiam aut severitatem, cape-

 rata

*) *Satyr. II.*

rata vero atque adducta hilaritatem aut comitatem occultare possint; quod quotidianis & in frontem incurrentibus facile probari potest exemplis: tamen longe rarius mentiri solet illa frons, quam in aegrotis Medici intuentur. Quod si enim, quemadmodum ceterae faciei partes, oculi, aures, os atque nasus, non solum animi, sed corporis etiam, quomodocunque se habentis, indices existimantur idonei **), sic eodem iure & *fronti*, haud ignobili vultus parti, habeatur fides: dubitari profecto non potest, quin eadem hac parte Medicus in compluribus corporis humani adfectionibus cognoscendis declarandisque, tanquam interprete, sit usurus. Atqui haec etiam a priori, quod Philosophi dicunt, sive per ratiocinia confeceris haud difficulter. Ea enim,

**) Lubenter haec credideris, si hoc ipso loco habitas evolveris Dissertationes, *de oculo, ut signo; de indiciis aurium in morbis; de morborum signis, quae a naribus desumuntur;* & *de ore, ut signo:* singulas collatas cum Celeberrimi *Georgii Ernesti* STAHLII Dissert. *de Facie, morborum indice*, Halae, 1705. & Excellent. *Samuel. Theodori* QVELMALZII *Prosoposcopia medica*, Lipsiae 1748. in lucem emissa.

enim, ut Anatomici Physiologique docent, omnium singularumque corporis nostri partium est conspiratio, is consensus, ut, quae unam alteramque ipsarum adficiunt, adflictiones, in eundem doloris adfectum plerasque etiam, quae supersunt, coniiciant partes. Quotumquemque ergo aegrotantium putabimus futurum, qui adeo durae firmaeque sit frontis, ut internos cruciatus angoresque hac in parte vultus dissimulet, nisi ipse a Stoicorum fuerit familia, qui oris & vultus serenitatem negant unquam ulla posse aegritudine obnubilari ***)? Quae quum ita sint, ut variam internam reconditamque corporis constitutionem externa atque conspicua frontis commutatio patefaciat: operae fore pretium existimavi, si eandem accuratiori persequerer animadversione, & in commentariolum coniicerem, inter solemnia academicarum Dissertationum specimina locum adepturum. Explicata ergo fronte, lectores, & exporrecto serenoque vultu intuemini hanc, quam vobis obverto, *frontem*, variam

***) *Aul.* GELLII *Noct. Attic.* Libr. XVIII. Cap. XII.

riam morborum indolem variumque statum interpretaturam. Quae si minus vobis arriserit, non ego ita perfrictae sum frontis, ut qualibuscunque his meis paginis vestros plausus, vestramque anxie eblandiar adsensionem. In litteraria enim re publica prorsus libera esse suffragia scimus, & hanc veniam petimusque, damusque vicissim. Satis nobis erit, ut in omnibus conatibus nostris, ita & in quantulocunque hoc labore propitium atque auxiliare habuisse numen.

§. I.

*Frontem* morborum interpretem impraesentiarum producturi, facere non possumus, quin, quod nulla sine convenientibus idoneisque signis esse potest cuiuspiam rei interpretatio, statim in Dissertationis huius limine explicate demonstremus, deprehendi omnino in *fronte* eiusmodi signa, quae, sive ex externis huiusce partis mutationibus conspicuis atque manifestis, sive ex internis reconditisque, & ipsius aegroti sensu cognitis, a Medico fuerint intellecta, non praesentis solum, sed futuri quoque praeteritique morbi variam rationem atque indolem declarare possunt. Ea scilicet singularum corpo-

corporis noſtri partium eſt conditio, is ſtatus, ut, vi dogmatum phyſiologicorum, ad peculiares quasdam deſtinatae ſint atque fabricatae actiones; quae, quocunque demum ſucceſſerint modo, ſi ſenſuum cognitioni patent, phaenomena fiunt, qualicunque cum totius corporis, tum quarundam partium ſingulatim, ſtatui inſervientia ſignificando, quemadmodum amplius Semiologorum docent praecepta. Atqui vero huius generis adparitiones, quas Philoſophi dicunt, hoc eſt, mutationes ſenſuum ope perceptae, & quamcunque corporis humani conditionem declarantes, *ſigna medica* appellantur. Quam ob rem quum & *frons* ſuas, ſingulariter ipſi delatas, habeat actiones, omnisque actio ſine eiusdem partis, a qua efficitur, mutatione fieri nequeat; hae vero ipſae mutationes, teſtante experientia, ſaepenumero tam aliorum, attenti inprimis harumque rerum curioſi Medici, quam ipſius aegroti ſenſibus cognoſcantur manifeſtenturque: aperte profecto ſequi exinde arbitramur, ut & ipſa frons aliquid medicorum offerat ſignorum.

## §. II.

Verum enim vero licet ſingularum, ut diximus (§. I.), corporis noſtri partium certae ſint atque definitae actiones: tantum tamen abeſt, ut vel ulla earundem partium a ceteris plane ſit ſeparata atque ſeiuncta, ut potius omnes ſingulaeque perpetuo conſenſu atque coniunctione inter ſe ſint unitae. Quae mirabilis conſenſio, non ad vicinas ſolum &

contiguas, sed remotiores quoque partes pertingens, per Physiologorum demonstrata, nullis aliis obtinetur conservaturque rationibus, nisi per ipsam peculiarem corporis nostri omniumque partium structuram, omnes quippe, quotquot exstant, has partes arctis continuisque vasorum nervorumque vinculis connectentem colligantemque. Quum igitur frons etiam quaedam corporis pars sit, adeoque ipsi mutua cum reliquis partibus intercedat coniunctio, multarum maximarumque mutationum, hic loci interdum observabilium, mater: nostri plurimum interest instituti, ut deinde infra eo ampliorem purioremque hauriendorum signorum, ad frontis indicia pertinentium, habeamus fontem, pauca quaedam de huiusce partis structura & cum ceteris partibus nexu ad Anatomicorum demonstrata persequi, & praecipue accuratae vasorum nervorumque vacare descriptioni; anteaquam varias in hac parte obvias mutationes sigillatim expediamus, iisdemque, ut signis, ad praevidendos diiudicandosque morbos utamur.

## §. III.

Primam omnino sibi impendi operam postulat illud stabile atque firmum totius, quae in fronte spectatur, formae fundamentum, *os* nimirum, quod Anatomici appellant, *frontale*. Quum vero, iisdem docentibus, sola prior atque anterior huiusce ossis portio illam ipsam faciei partem, de qua in praesenti disputamus, potissimum formet, reliquis portionibus

bus ad effingendam praecipue calvariam accedentibus: tantum abeſt, ut univerſi huius oſſis ſtructuram expedire noſtri interſit inſtituti, ut potius, quae in antrorſum prominentis eiusdem partis fabrica notanda ſunt, ſola noſtro egeant ſtilo. Scilicet haec anterior portio, ſi ſpectetur extrinſecus, generatim convexa eſt atque arcuata: utrimque autem in ſingulares deſinit arcus ſuperciliares, ſatis firmos, qui partim extrorſum deorſumque producti craſſo & ſubacuto fine iugalia ſuſcipiunt oſſa, partim introrſum, prope naſum, teneriores obtuſioresque evadunt, oſſiumque maxillarium ſuperiorum proceſſibus iunguntur, hacque ratione ſuperne & in lateribus ex parte oculorum lacunaria circumſcribunt. Hinc ab horum arcuum margine retrorſum binae progrediuntur laminae pertenues atque incurvae, fiſſura oblonga lataque diviſae, & prope ipſam denuo in duas ſingulares diſtinctae lamellas, maximam partem ipſorum lacunarium oculariorum conſtituentes. Dictis praeterea ambobus arcubus interiacet quaedam oſſis huius frontalis portio, *glabellam* vulgo dicunt, parum eminens atque deorſum vergens, tenuis & inferne coarctata, quae narium oſſicula ſeptumque attingit.

## §. IV.

Internae autem huius anterioris, quam deſcripſimus, partis (§. III.) ſuperficiei utrobique impreſſae ſunt duae amplae, poſterioribus tamen retroque ſitis minores, ſcrobes, quas in media frontis regio-

ne partim imo loco magna illa, iamque ante memorata (§. cit.), fissura, os cribriforme complectens, partim coecum, quod Anatomici vocarunt, foramen, partim denique eminentia quaedam dividit, acuto praedita margine, & versus sagittalem suturam exporrecta. Media vero huius ossis parte, cui *glabellae* nomen est (§. cit.), ambae, quae ipsam osseam formant compagem, laminae utrinque diducuntur, atque hic & recta sursum, & in utrumque latus usque ad eminentem arcuum superciliarium partem sinus efficiunt frontales, inaequalis inconstantisque figurae atque amplitudinis, amplissimos tamen prope nares, ibique in anteriorem quandam ossis papyracei cavernulam hiantes *a*). Atque hos sinus undique investit intrinsecus membrana quaedam mollis, vasculosa atque pulposa, ab inventore nomen trahens, vulgoque *pituitaria* SCHNEIDERI appellata, his in sinubus tenuior, quam in septo, ipsaque nasi caverna. Quam quia tenuissimi vasorum nervorumque perreptant ramuli, potiorum internorum signorum, quae tacito sensu in fronte ipsi

*a*) Opportunum tamen erit lectoribus, ut de frontis signis medicis disputanda adhuc enodatius intelligant, ex optimis rei anatomicae scriptoribus repetere simul, quae ad subtiliorem huius partis fabricae faciunt cognitionem. Quo nomine de ipsa ossea structura ante omnes conferri meretur *Bernhard. Siegfried* ALBINVS *de ossibus corporis humani*, Lugd. Bat. 1726. in 8v. & Celeberrimus noster *Philippus Adolphus* BOEHMERVS in *Institutionibus osteologicis*, Halae 1751. in 8. ut *Palfinianos*, *Nesbittianos*, *Tarinianos*, *Müllerianos*, aliorumque labores omittamus.

ipſi aegroto varias indicant manifeſtantque adfectiones, primarii fontes: de his protinus diſputabimus plura. Externam denique ſuperficiem frontis, quae faciei pars eſt, praeter communia, ut vocari ſolent, integumenta, duo ambiunt teguntque muſculi, admodum tenues, ex inferiori oſſis frontalis margine, ad naſi radicem, orti, atque inde utrinque paullulum oblique adſcendentes, a ſede *frontales*, ab officio vero, cui praeſunt, *corrugatores* vocati *b*).

§. V.

Quas vero modo expoſuimus (§. III. IV.), partes nunc quoque ad eas rationes, quibus per vaſa nervosque reliquis connectuntur partibus, expediendae ſunt atque enodandae. Ordiamur ergo a vaſculis. *Arteriolarum*, quae huc deferuntur, magna vis eſt, potiſſimum ex arteria carotide, velut e communi ſtirpe, emiſſa. Hic enim videas evidentiores huius canalis arterioſi ramos, maxillarem internam, ophthalmicam, palatinam, naſalesque ſingulas arteriolas numeroſis ſurculis in haec cava loca penetrantes. Omnium vero maxime infraorbitalis ſurculus adit ſinus (§. IV.), ibique in membranam diſtribuitur Schneiderianam. At exterior illa

 muſcu-

*b*) Diſceptari adhuc varia inter Anatomicos de his muſculis, bene novimus: ſed brevitatis gratia remittendi ſunt a nobis lectores ad huius generis ſcriptores; e quibus qui huc vel maxime faciunt, inſtar omnium eſſe poteſt Celeberrimus *Auguſt. Frid.* WALTHER, in *Teneriorum muſculorum Anatome*, Lipſiae, 1731. in lucem emiſſa.

musculosa frontis pars (§. cit.) partim ab externa maxillari, partim a temporali, utraque carotidis externae progenie, arteriolas accipit. Quippe haec, iugale supergressa os, & dehinc in tres divisa ramos, cum nonnullos medii surculos, tum anteriorem totum, frontalem ideo dictum, musculo cognomini inserit; quo cum coniungitur ibidem angularis arteriola, quae nimirum isti externae maxillari debetur. Utrobique autem, tam intrinsecus, quam extrinsecus, sociae huius itineris sunt *venae*, quarum hae quidem externae itidem partim in venam maxillarem externam, iugulari anteriori continuam, partim in temporalem, posterioris iugularis ramum, delabuntur; istis vero internis, quae arteriis paullo deprehenduntur obscuriores, velut commune datum est receptaculum, plexus nempe in musculo pterygoideo externo praesens, in quem coëunt, & cum ipsis durae meningis sinubus sanguinem suum venosum communicant, tandemque coniunctim in externum iugularis internae ramum colliguntur *c*).

§. VI.

At insignis quoque *nervorum* est numerus, qui efficiendae huius partis cum reliquis, praesertim contiguis atque vicinis, coniunctioni singulariter praesunt (§. II. V.). Quos varie atque infinite divisos

*c*) His non infructuose conferentur Illustris *Alberti* de HALLER *Not. ad Praelect. Boerhaav.* Tom. IV. §. CCCCXCIV. not. c), & Clarissimi quondam *Iusti Godofr.* GÜNZII *Commentatio de arteria maxillari interna.*

ſos ipſi interni oſſis frontalis ſinus, iſtisque inhaerens membrana pituitaria ſuſcipiunt, in praeſenti non perſequimur, quod eosdem nuperrime ab Illuſtri PRAESIDE, quoad noſtra quoque intereſt, accurate novimus deſcriptos *d*): id ſaltem monituri, omnes hos nervos aut a primo, quod olfactorium vulgo dicunt, pare, aut a quinto iſto inveſtigatu longe difficillimo eſſe propagatos. At externam, quae conſpicua eſt, frontem etiam plurimi ineunt nervi, cum a quinto, quod iam memoravimus, cerebri pare, tum a ſeptimo, quod acuſticum eſt, tum a cervicali primo deducti. Scilicet ſuperior quinti paris ramus, orbitarius, itemque ophthalmicus dictus, partim ſuperne ſurculum edit ſuperciliarem, dehinc frontalem vocatum, qui, penetratis plurimis ad oculum pertinentibus partibus, tandem maxima ſui portione in vicinum frontalem diſtribuitur muſculum, partim ab exteriori ramo, cui lacrymali nomen eſt, ad eandem partem nonnulla edit filamenta. Acuſtici vero nervi durus, quem Anatomici vocant, ramus, per parotidem, ad latus proceſſus ſtiliformis, transgreſſus, ſuperioribus ſuis ſurculis frontem adit & cutaneus, & muſcularis, ibidemque cum diverſis dicti quinti nervi ramulis anaſtomoſes agit numeroſas. Primum denique par cervicale poſteriorem inſignem ramum per aliquot colli, humeri, capitisque muſculos ſurſum mittit, cuius demum aliquis ſubſe-

*d*) In *Diſſert. de morborum ſignis, quae a naribus deſumuntur*, hic loci anno 1754. publice ventilata §. V.

subsecivus ramulus in supra descriptum musculum desinit frontalem *e*).

§. VII.

Atqui nunc intelligere vos arbitror, lectores, nemini oportere esse mirum, si interdum vel gravissimorum quorundam adfectuum *frons* deprehensa fuerit index atque interpres. Quodsi enim ante commemoratos spectemus nervos (§. VI.), firmissimis coniunctionis consensusque vinculis frontem cum singulis reliquis partibus animadvertemus copulatam. Omnis enim iste, qui in frontem implicatur, nervosorum ramulorum apparatus cum primariis reliquis universi corporis humani nervis coniunctus est. Quod ne temere me adfirmasse existimes, solum nominasse sufficiat intercostalem nervum *f)*, intercostalem inquam, ob amplissimam cognationem saepenumero *magni* cognomine insignitum *g*), & vel ipso infinitorum gravissimorumque dolorum, aliarumque vehementissimarum adfectionum ortu infamem. Taceo ad haec omnium arteriolarum frontalium originem, carotidem (§. V.), e maximo amplissimoque omnium vasculorum arterioso-

*e*) Multum afferetur lucis hic disputatis, si evolvatur considerateque legatur eximia Clariss. *Ioann. Frider.* MEKELII *Dissert. de nervo quinti paris*, Goetting. 1748. Inde enim intelligi potest, quanta huic nervo cum temporalibus, ophthalmicis, duro, intercostali, aliisque intersit coniunctio.

*f)* Conferatur *Scholion antecedens.*

*g*) Videatur e. g. ESCHENBACHS *anatomische Beschreibung des menschlichen Koerpers*, §. 1390.

rioſorum canale, cui *aortae* nomen eſt, proxime eſſe oriundam. Taceo quoque, venas per frontem diſſipatas (§. cit.) ſingulas velut in commune quoddam capaxque relabi revertique diverticulum, iugularem nimirum venam, amplam illam atque principem ſubclaviae venae, in ipſum maximum omnis venoſi ſanguinis receptaculum deſcendentis, propaginem.

§. VIII.

Animadvertendarum ergo qualiumcunque mutationum in fronte accidentium, & capiendorum exinde ſignorum (§. I. II.) curioſum Medicum partim ad ea, quae in *externa fronte* apparent atque in conſpectu proponuntur, conſiderate attendere, partim ea, quae *intrinſecus* contingunt, & ipſius aegroti ſenſu percipiuntur, accurate exquirere atque indagare oportet. De quibus ut eo exactius ad lectores diſputare poſſimus noſtros, qualescunque has frontis commutationes, a naturali indole atque ordine recedentes, ad certa quaedam atque ſingularia reducemus capita, atque ab his deinde ſigillatim idoneas capiemus indicationes. Quae ſit naturalis frontis ſpecies, quis color, quaeque actio, nemo non novit. Haec ergo omnia, ſi ſecus fuerint, ad huiüs generis mutationes, ſignis Medico edendis opportunas, iure meritoque erunt referenda. Quorum ſingulorum quadruplex omnino conſtituendum videtur genus: *primum*, quod turbatam perverſamque liberam muſculorum frontalium ſuperiectaeque cutis actionem, atque hinc impedi-

tum voluntarium frontis motum complectatur; *alterum*, quod diversum frontis colorem, a naturali, qui cuique proprius est & peculiaris, seiunctum, & cum eo plerumque convenientem varium caloris, in eadem parte praesentis, gradum complectatur; *tertium*, cui varii generis tumores exulcerationesque, frontem haud raro occupantes, subsint; *quartum* denique, quo qualiscunque insolitus, minusque naturalis sensus, tam extrinsecus, quam in ipsa interiori frontis compage observabilis, contineatur.

## §. IX.

*Primum* ergo horum vitiorum *genus* (§. VIII.), quod in naturali musculorum frontis aut superinductae cutis motu libero quomodocunque impedito aut corrupto versatur, ob illaetabilis ominis gravitatem primo sibi vindicat loco frontem, inprimis ipsius cutem, contractam, rigentem, aridam & velut exsuccam. Quodsi enim & reliquos, qui eiusdem potissimum esse solent comites, intellexeris adfectus, collapsa nempe & extenuata tempora, oculos cavos & velut in lacunaribus suis reconditos, aures frigidas, contractas, & infima loborum parte inversas, acutum nasum, & colorem denique totius faciei pallidum, aut lividum & nigricantem velutque plumbeum: contueri te oportet ipsam perfectam & exquisitissimis ductam lineis *faciem Hippocraticam*, famosissimum illud & adspectu longe miserabile mortis omen proxime imminentis; cuius formam ipse optimus hic senex Medicorumque prin-

ceps

ceps *h*) in eximiis ſuis ſcriptis primus adumbravit. Quod illaetabile praeſagium eo certius de funeſto hoc teſtabitur eventu, ſi in triſti hac atque miſeranda facie frons ſimul frigido maduerit ſudore, omnisque oculorum evanuerit vivacitas: contra ea vero a recuperandae ſalutis ſpe prorſus animum abducere vetat eadem frons, ſi ſubtepido irrigata fuerit madore, ſuperſtite ſimul adhuc vivido vitalique oculorum fulgore *i*). Scilicet haec poſterior facies ſaepenumero vehementiſſimos graviſſimosque animi motus, nimiam longamque inediam, diuturna pervigilia, frequentiores continuasque alvi fluxiones, aliasque huius generis corpus noſtrum ſumme enervantes adfectiones inſequi ſolet: iſta vero prior contagio quodam maligno peſtilentive, itemque veneno corruptis, nec non extrema tabe adfectis deprehenditur familiaris. Quo nomine utramque hanc faciem, adeoque & frontem, utpote haud ignobilem ipſius partem, non inter prognoſtica ſo-



*h*) In *Praenotion.* Sect. II. p. 448. Tom. I. Edit. *van der Linden*, quibuscum opportune conferri poterunt *Chriſtiani* LANGII *facies Hippocratica levi penicillo adumbrata*, Lipſ. 1651. & Illuſtris PRAESIDIS *Fundamenta Semiologiae medicae*, Part. I. Cap. VII. §. VII.

*i*) Cave tamen, exiſtimes, vivaces faciei cuiusdam Hippocraticae oculos ſemper futurae convaleſcentiae certos eſſe indices: quandoquidem admodum nuper feminam vidimus, ſumma confectam macie, atque huius Hippocraticae imaginis genuinum exemplar, nihilo tamen minus ad extremum vitae halitum vivido oculorum fulgore non deſtitutam.

lum, quae exposuimus modo, sed anamnestica quoque, ut Semiologi loquuntur, praeteritumque aegrotantis statum declarantia signa iure meritoque referemus.

§. X.

Sed aliud interdum, licet non adeo frequens huiusce vitii, voluntariam frontis motionem sufflaminantis (§.IX.), animadvertitur exemplum. Formidabile enim spasmodicorum adfectuum genus nonnunquam etiam in frontem incidit, eandemque variis modis constringit, distendit atque corrugat. Cuius rei ut singulare adiiciatur exemplum, notare lubet hoc loco illam interdum observabilem faciei mutationem formationemque, sub qua, contractis valideque adductis temporum mandibulorumque musculis, frontales simul musculi vehementer distorquentur atque corripiuntur, ut in innumeras variasque superductam cutim convolvant complicentque rugas. Quibus adeo ex signis facile intelliges, deprehendi hic grave illud spasmorum genus, quod in scholis medicis *trismon* appellant. Consulto hic tacemus, ne, dum omnia, & ex his quaedam satis nota, fusius persequeremur, lectoribus fiamus molesti, paene in ceteris omnibus spasticarum, saltem universalium, adfectionum generibus etiam fronti aliquid accidere mutationis; unde colligi potest, quod etiam frontis inspectio, reliquis indiciis non neglectis, ad crudele hoc morborum genus cognoscendum & a ceteris interstinguendum minime sit infructuosa.

§. XI.

§. XI.

Verum enim vero ipſorum horum, de quibus egimus modo (§. IX. X.), phaenomenorum alia atque diverſa in quibusdam morbis eſſe ſolet iudicatio, prout ipſam aut ſingularis quaedam atque privata corporis conſtitutio, aut peculiares quidam definiunt morbi. Cuius utriusque momenti intuitu ſemper Medicum in iudiciis ſingularium morborum ferendis cautum eſſe oportet atque circumſpectum. Ergo hominem, cui natura & difficilem moroſumque vultum, frontemque Catonianam & multis inaequalem rugis conceſſit, noli ſtatim in gravioribus acutisque morbis, hoc qualicunque commotus ſigno, propinquae morti aeſtimare deſtinatum. *In morbis enim*, ſi HIPPOCRATEM *k*) audire non piget, *ſic inſtituenda eſt faciei conſideratio, ut intelligas, ſitne ipſa bene valentium & ſui ſimilis, nec ne? Haec enim optima iudicanda eſt.* Singularis autem ominis in quibusdam peculiaribus morbis huiusmodi complicata atque caperata frons eſſe obſervatur. In acutis enim malignique moris febribus, praeſertim ubi iuſto maior ſanguinis copia inhaeſerit vaſis, licet optimus vividusque faciei fuerit color, ſi torvus inſuper deprehenditur adſpectus & frons contracta, praecipiente *Coo* noſtro *l*), imminentem phre-

*k*) In *Praenotion.* Sect. II. p. 448. Edit. cit. itemque *Claudius* GALENVS in *Commentar. I.* in HIPPOCRATIS *Praeſag.* f. 20. & *de Arte curat.* Libr. I. Cap. II.

*l*) In *Coacis Praenotion.* Sect. II. p. 540. & *Praedictor.* Libr. I.

phrenitidem praesagito; nisi quidem, ut nostra nobis aliquoties constitit observatione, sua sponte, aut ad morem Dn. ALLION, artis exercitio hic loci quondam celeberrimi Medici, arte excitato sanguinis e naribus profluvio phrenitica adfectio antea, quam accederet, fuerit soluta. Neque in hypochondriacis hystericisque, quae nunquam non animadverti solet, frons torva atque contracta, & ad haec sudore frigido, pessimo hoc ceteroquin omine (§. IX.), saepe madida, formidabilis signi nomen meretur. Generatim enim plerisque cum adversa valetudine conflictantibus, & praesertim chronica patientibus mala, v. c. praeter dictos hypochondriacos hystericasque, haemorrhoidariis, splenis hepatisque labe adfectis, scorbuticis, melancholicis, aut qualibuscunque frequentibus & diuturnis dolorum cruciatibus vexatis, frons austera minusque explicata esse solet *m*).

§. XII.

Venio nunc ad alterum vitiosarum mutationum, in fronte conspicuarum, genus (§. VIII.), *coloris* nimirum *calorisque*, quippe admodum, ut experientia testatur, inter se consentientium, a naturali indole statuque aberrationes complectens, capiendisque variis morborum indiciis insigniter accommoda-

Sect. VI. p. 475. Edit. cit. cui addatur *Io. Conrad.* BARCHVSEN in *Collectis Medicinae Practicae generalis*, Cap. IX. §. 2. p. 354. Edit. Amstelod. 1715.

*m*) Conferatur Illustris *Ioann.* IVNCKERI *Conspectus Pathologiae & Semiologiae*, pag. 599.

modatum. Cuius utriusque adfectionis duae generatim ſtatui poſſunt modi, cum, *coloris* intuitu, pallor cum adfinibus coloribus, livore atque lurore, & rubor; tum, *caloris* ratione habita, aeſtus & frigus: quare & nobis per partes eundum eſt, ſigna medica ad coloris calorisque gradus e fronte definituris. Atqui hoc loco praetermittere nobis liceat illas abunde ſatis iam notas ſubitaneas in fronte coloris calorisque viciſſitudines, in quas impetuoſae atque turbulentae cuiuscunque generis animi perturbationes abſolutum habent imperium, ideo tamen nequaquam negligendas aut a Medico incurioſe praetervidendas, quod ipſarum non ſolum in efficiendis, aut pervertendis mutandisque plurimis morbis latiſſima eſt poteſtas, ſed hoc quoque nomine earundem in cognoſcendo cuiuslibet corporis noſtri adfectus ſtatu, cauſa, atque eventu maximus plerumque & eximius animadvertitur uſus. Noſtri autem in praeſenti commentatione potius intereſt inſtituti, ad ea, quae conſtans aut per inſigne quoddam temporis intervallum perdurans coloris calorisque in fronte permutatio docet, attendiſſe ſigna.

## §. XIII.

Primo ergo, quae *pallenti* (§. XII.) in morbis ſtatuenda ſit aeſtimatio, paucis definiemus. Quem frontis colorem ſi, ad expediendam inprimis morborum, cauſſarumque illos efficientium, diagnoſin, ſingulariter ſpectemus, generatim exinde diſcimus, in ſuperioribus his atque externis capitis locis deprehen-

prehendi tunc aut spasmodicam quandam, ut Medicis dicta est, contractionem constrictionemque, atque hinc productam lentiorem impeditioremque sanguinis per minima sua vascula progressionem, vel ipsam iam exorsam in iisdem canaliculis globulorum sanguineorum immobilitatem, vulgo in scholis medicis *stagnationem* appellatam, aut insignem vasculorum, a deficiente iusta necessariaque vitalis sanguinei liquoris copia ortam, inanitatem. Quo pallido colore infecta frons quoniam plerumque & frigida deprehenditur, easdem malas corporis nostri exinde quoque colligere licet adfectiones. Quid vero speciatim huiusmodi vitiosa coloris calorisque indoles, fronti accidens, in morbis singulatim manifestet, disputabimus nunc porro.

§. XIV.

Scilicet in amplissimo illo febrium genere haud levia tam diagnoseos quam praesagii iudicia e pallente frigidaque fronte (§. XIII.) possumus venari. In intermittentium enim classe cum universo reliquo corpore frons quoque insigniter pallet atque riget, dum febris futura est accessio, aut iam ipse febrilis adest horror. Contra ea vero acutae febres, cum ab exanthematico contagio, tum ab internis sanguineis serosisve subortae incendiis, minus laetabilem, saltem dubium habiturae existimantur eventum, si una cum ceteris partibus a frigore & subrigida contractione velut extenuata fuerit frons, atque a pallore, aut, qui peioris status est index, livore decolor sit facta. Quippe qui detesta-

bilis

bilis frontis color Hippocraticae quoque, quam ſupra (§. IX.) levi adumbravimus penicillo, inducitur faciei, atque ad haec, ſi magis adhuc nigruerit, ex ſingulari Chinenſium, accuratiſſimorum ceteroqui Semiologorum obſervatione *n*), intra biduum ſuo aegrotum defuncturum fato certiſſime praedicit.

## §. XV.

Conferentes autem frontis pallorem omnibus ſingulisque ſanguinis profluviis, variam hic & omnino inter ſe diverſam deprehendimus iudicationem. Huius enim intuitu pallida frons mox inter anamneſtica, mox inter diagnoſtica militat ſigna. Illius enim indicii reſpectu facile ab huiusmodi depravato frontis colore proxime praegreſſas nimias quomodocunque factas ſanguinis auguraberis effuſiones; memor cauſſarum illarum, ad quas retulimus antea frontis pallorem (§. XIII.). Horum autem, diagnoſticorum nimirum ſignorum, loco erit hic color, ſi exinde, ut per modo memoratas cauſſas licet decetque, minus expeditos ordinatosque naturalium haemorrhagiarum iudicaveris ſucceſſus. Omittam in praeſenti plerosque reliquos chronicos adfectus, potiſſimnm cum ſpasmorum generi ſubiacentes, tum a qualicunque viſcerum labe, vitiataque inde humorum indole corruptaque mixtione oriundos, utpote raro vividum in fronte praemon-



*n*) Conferatur hac de re *Andreae* CLEYERI *Specimen medicinae Sinicae*, Part. II. § 52. ſeq. Edit. Francof. 1684. in 4.

strantes colorem; si unum hoc adiecero, quod ceteroqui ne tirunculo quidem rerum medicarum ignotum esse oportet, in regio illo morbo, quem icterum Medici appellant, & frontem ab aurigine infici & haud raro infuscari.

§. XVI.

At vero, quem nunc suscipimus expediendum, frontis *rubor*, adfinisque, si utriusque caussas spectes, *auctior* & tantum non *ardens calor* generatim his, hactenus de pallente fronte disputatis (§. XIII–XV.), e transverso contraria manifestat. Quotiescunque enim intensi in fronte &, cuius ipsa pars est, reliqua facie in morbis animadversi fuerint rubores caloresque, toties fieri non potest, quin universe uterque hic status aut magnae sanguinis in totius corporis tubulis abundantiae plenitudinisque, aut saltem copiosioris excitatiorisque ad superiora corporis loca eiusdem vitalis liquoris adfluxionis haud temerariam atque coecam praebeat suspicionem. Unde etiam intelligi volumus atque per certa ratiocinia deduci, quae signorum, ex rubente atque velut aestuante fronte protinus definiendorum, iustae veraeque sint rationes.

§. XVII.

Nimirum hic (§. XVI.) is est color, qui, si vel solum ipsius in declarando vario febrium, praesertim acutarum, more atque indole, praesagiendaque multiplicis saepe solutionis criticae accessione spectave-

ctaveris usum, animadversionem omnino meretur. Quoscunque enim restagnans alicubi in capite sanguis generare potest morbos, v.c. phrenitidem, capitis dolorem, vertiginem, gravedinem, otalgiam, ophthalmiam, aliosque sanguineos oculorum adfectus, odontalgiam, faciei erysipelas, immo ipsam apoplexiam, &c. sive συμπτωματικῶς ad febres accesserint, sive orti fuerint ἰδιοπαθικῶς, frons huiusmodi rubro colore tincta, aestuque interno incensa, praesagit; nisi quidem adhuc tempestive satis κριτικῶς e naribus eruperit sanguis, aut, ut observando cognitum est *o*), diarrhoea supervenerit critica, aut abscessus suborti fuerint post aures, aliaeve huius generis translationes. Nisi ergo haec in acutis febribus acciderint, insuperque rubicunda frons cum spirandi difficultate, praecordiorum anxietate, continuis pervigiliis, deliriis, ipsisque tandem motibus, quos Medici dicunt, convulsivis fuerit coniuncta, internarum partium incendia, phrenitidem, mortem audacter praesagito. In omnibus autem, qui supersunt, morbis, nisi quidem narium haemorrhagiam praesignificaverit imminentem, saltem gravissimum capitis dolorem huiusmodi rubor praedicit. Praesente vero chronico isto rubicundo frontis colore, qui simul livore passim distinctus esse solet, & potissi-



*o*) Videsis HIPPOCRATEM in *Coac. Praenot.* Sect. II. pag. 541. Edit. cit. & Celeberr. *Christian.* VATER in *Dissert. de praesagiis vitae & mortis in aegrotantibus*, Cap. IV. Thes. I. Witteberg. 1708.

mum per intervalla accedit receditque, vitia viſcerum in pectore abdomineque ſitorum, ante omnia hepatis, exinde haud anceps augurari poteſt aeſtimatio.

§. XVIII.

Enimvero progrediendum nunc eſt ad tertium vitiorum, frontem corrumpentium, genus (§. VIII.), varios nimirum huiusce partis tumores, efloreſcentias, & puſtuloſas ulceroſasque foeditates comprehendens; utpote quorum ſingulorum malorum accurata conſideratio attento Semiologo in acquirenda ſignorum notitia plurimum adiumenti adfert. Cuiuscunque enim ſint generis ordinisque hi tumores, maculae, puſtulae atque ulcuſcula, ſemper generatim aut ſanguinem ipſum ſua mole laborantem, tardeque progredientem, adeoque ad ſtagnationes proclivem indicabunt, aut eundem inaequali motu ad certas quasdas corporis partes delatum oſtendent, aut impurum cacochymicumque declarabunt, aut denique ipſos ſanguiferos reliquosque minores canales quomodocunque compreſſos coarctatosque, immo quoque divulſos manifeſtabunt. Ex quo clariſſime apparere arbitramur, ipſas huiusmodi inſignes frontis mutationes, a tam gravibus, tamque amplis cauſſis exortas, ad diiudicandam variam morborum ſanitatisque conditionem nonnulla idonea ſigna certiſſime eſſe oblaturas.

§. XIX.

§. XIX.

Quae ut ſeorſim diſputemus noſtri, quem ſemel obſervavimus, ordinis intereſt, ea primum frontis hoc modo adfectae exponere ſigna, quae ad febres ſpectant. Intermittentium genus interdum in fronte, frequentius tamen ad nares & in labiorum commiſſuris, puſtuloſas emittit exulcerationes, dum a decretoria, quae Medicis audit, attentatur ſolutione. Simili fere ratione in acutis febribus, praeſertim catarrhalibus, interdum exiles quaedam bullulae, velut ſerpiginoſae, vehementerque prurientes, maiorem ad ea loca humorum copiam deponi indicant, atque aut criticum ſanguinis ſeroſive muci profluvium protinus futurum praeſagiunt, aut, ſi hae non ſucceſſerint fluxiones, parcioresve fuerint, iudicante quidem FIENO *p*), haud incommodo ſemiologicae ſcientiae ſcriptore, formidabile & tantum non funeſtum delirium ominantur. Quod vero in variolis totius faciei, praeſertim frontis, intumeſcentia imminentem vel iam incipientem deſignet ſuppurationem, iam notiſſimae eſſe exiſtimamus obſervationis. Ad chronicorum autem morborum diiudicationem, ex his frontis ſignis inſtituendam, quod attinet, notaſſe ſufficiat, frontem huius generis efflureſcentiis ulcuſculisque obſeſſam habentibus viſcera potiſſimum abdominalia male eſſe adfecta. Singulatim autem



*p*) In *Semiotice, ſeu de ſignis medicis tractatu*, pag. 103. Lugduni, 1664.

ex ulceribus malignis & velut serpentibus, mox foedo ichore perfusis, mox sicca crustula obtectis, scorbutus, e furunculis vero pustulisque cancroideis amatoria lues saepenumero quoque diagnosci potest. Quorum malorum ultimum haud raro sui indices, pessimos tophos, ipsa ossa frontalia intus exedentes, in fronte deponit.

§. XX.

Agmen harum adflictionum, quae in fronte Semiologiae medicae inserviunt, claudant *dolores* varii gradus diversique sensus, interiores inprimis frontis cryptas passim pervagantes, & ab ipso potissimum aegro cognoscendi. Prurientem enim a serosis bullulis frontem qualem aestimare liceat, iam ante (§. XIX.) expositum est: cui & hoc addas, plerumque in nimia frontis contractione, cuius supra quoque (§. X. XI.) instituta est diiudicatio, cum satis gravem, tum obscuriorem rhevmaticum deprehendi dolorem. Quodsi vero in anteriori frontis parte, praecipue qua ipsa naso committitur, in febribus acutis cum exanthematicis atque inflammatoriis, tum in catarrhalibus benignis malignisque gravem & velut mole quadam prementem, mox obscurum, mox vero admodum vivacem atque pungentem senseris dolorem, in istis quidem febribus plerumque accessuram κριτικῶς narium haemorrhagiam, aut, si haec exitu fuerit interclusa, graviora mala, phrenitidem, ipsamque apoplexiam sanguineam, in his vero serosam pitui-

pituitoſamque e naribus praedicito excretionem, aut, ſi & haec male ſucceſſerit, futuros in vicinis glandulis tumores atque abſceſſus, vel ophthalmiam, otalgiam, odontalgiam, gravedinem, quid? quod in ſenibus praeſertim, apoplexiam, ſingulas ſeroſas. Denique & graviſſima illa dolorisque pleniſſima frontis adflictio attingenda eſt, quae continuo fere, praecipue tamen circa veſperam, interiora frontis vellicat atque pungit, aegrotosque miſere excruciat, & hoc ipſo modo acerrimi & paene peſtilentis contagii venerei praeſentiam declarat (§. XIX.), intimam oſſium frontalium naſaliumque compagem tacite arrodentem exedentemque. Cuius deteſtabilis veneni tanta ſaepenumero animadvertitur ferocitas, edacitasque tam enormis, ut, vel optimis, ſi paullo ſerius oppoſita fuerint, remediis ſpretis, latius ſerpat, & ipſam externam frontem acri morſu perrumpat, tandemque aut ipſi huiusmodi miſerabili vitae extremam vim inferat, mortemque acceleret, aut, ſi aegre demum medicinae ceſſerit, quam plurimis cicatricibus, perpetuis ſui furoris ſuaeque vehementiae teſtibus, laevam antea elegantemque frontem maxime deformem reddat atque deturpatam *q*). Quibus ex

*q*) Vidimus ipſi hic nuperrime iuniorem quamdam & ceteroqui facile probandae formae feminam, quae, venereo contagio ab ipſo marito ſuſcepto, poſt vehementiſſimos anterioris capitis cruciatus, diuque ſimulatam, quam

ex singulis signis, hactenus a varia frontis mutatione deductis, facileque, si supra (§. III–VI.) exposita frontis structura accurate conferatur, ad caussas suas revocandis, luculenter constare arbitramur, haud incommode *frontem morborum interpretem* posse declarari.

quam vere esse arbitrabatur, gravedinem, tandem tribus locis turpiter exesam accepit frontem, & etiamnunc, praesenti tempestivaque adhibita sanatione, plurimas in eadem parte gerit cicatrices.

TANTVM.